

legiatas Ecclesias, quæ beneficia (non parochialia) requirant personalem residentiam, contra eos, si residentiae legem non observent, procedendum est juxta formam et regulam præfinitam *in cit. Cap. 17. et C. 11. h. t.* Etenim cum relate ad hosce Clericos nihil immutaverit Concilium Tridentinum, adhuc integra perseverat contra ipsos dispositio antiqui juris. Scilicet absentes personaliter admonendi sunt; quod si ignoretur ubi degant, vel ad eos citatio pervenire nequeat, trina citatio per edictum publicanda est ad valvas Ecclesiae beneficii, et post tertiam citationem adhuc sex menses præterlabi debent; quibus elapsis potest procedi ad privationem beneficii. Vel si placeat, ante hanc privationem potest Episcopus experiri etiam censuras. In materia residentiae Parochorum et Episcoporum cf. Giraldi Exposit. Jur. Pont. *appendix ad h. t. de Clericis non residentibus.*

111. In materia de pœnis contra clericos non residentes, veluti appendicis loco opportunum ducimus referre sequentem S. Congregationis Episcoporum et Regularium decisionem diei 4. Martii 1842, quam nobis exhibet Cardinalis Bizzari in sua *Collectanea pag. 110.* 'Cum Episcopus N. N. videret, quod festis diebus Sacerdotes suæ jurisdictioni subditi in vicinam diœcesim transmearent ad Missam inibi celebrandam, ideoque in suæ diœcesis ecclesiis Missarum defectus haberetur, suo decreto sancivit: *ne ullus Sacerdos, præsertim diebus festis sese conferret ad celebrandam Missam in quacumque Ecclesia extra diœcesim posita sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ.* Re ad S. Congregationem delata, concinnatum est dubium *'An et quomodo sustineri debeat decretum editum ab Episcopo diœcesis N. N.?'* In Congregatione generali prædictæ diei rescriptum fuit: *'Quoad censuras, negative in omnibus, in reliquis ad mentem: mens est: exceptis Sacerdotibus, qui onus habent celebrandi intra fines diœcesis, quoad alios Presbyteros decretum Episcopi sustineri non posse.'* Quare dicendum est: 1. Episcopum decreto suo non posse prohibere, quominus Sacerdotes nulla alia obligatione beneficii aut capellaniæ devincti die festo a diœcesi recedant, et alio se conferant ad Missam celebrandam. 2. Episcopum posse quidem obligare Sacerdotes, qui Missam ex speciali titulo celebrare debent in diœcesi, ne diebus festis a diœcesi recedant Missam alibi celebrandi causa, attamen decreto suo non posse Episcopum contra istos censuram latæ sententiæ infligere, si recedant.

TITULUS V.

De Præbendis et Dignitatibus.

1. In genere vocabulum *præbenda* exprimit quamcumque perceptionem fructuum bonorum ecclesiasticorum, in specie vero significat beneficium ecclesiasticum, et in sensu rubricæ exhibet illam classem beneficiorum, quæ a dignitatibus distinguuntur; ea scilicet quibus nec præ eminentia honoris nec jurisdictio, nec administratio quædam seu custodia rerum ecclesiasticarum adnexa est.

2. Quoniam vero præbenda sumitur etiam ad exprimendum beneficium ecclesiasticum in genere, sub qua significatione tum præbenda, tum dignitas comprehenduntur; hinc primo loco agimus de beneficiis ecclesiasticis in genere.

Si vis vocis spectetur, Beneficii nomen originem civilem sortitum fuisse videtur. Nam ab historia edocemur, morem inolevisse temporibus imperii romani concedendi prædia quædam et possessiones militibus, qui in bello nobile aliquod factum et gloria dignum gesserant. Id ab ipso Alexandro Severo factum fuisse narrant. Hæc prædia et eorum concessionem appellabantur Beneficia, et qui prædia illa possidebant ex Principis largitione beneficiarii dicebantur.

3. Hunc morem imitata est Ecclesia et prædia vel possessiones concessit clericis deservientibus in sacra militia, eademque prædia vel possessiones propter servitium ecclesiasticum concessas appellavit beneficia. Si quis cupiat cognoscere historiam bonorum temporalium Ecclesiae, et quinam fuerit vetus status eorundem, et administratio, et distributio fructuum bonorum ipsorum, adeat *Berardi Jus Eccl. Univ.* in Dissert. præliminar. ad Tract. de Beneficiis.

4. Beneficium Ecclesiasticum definitur *'Jus perpetuum auctoritate ecclesiastica constitutum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium sacrum.'* Hæc definitio communior est; at non desunt, qui diversam ab ea definitionem exhibent, scilicet ut sit *'Officium sacrum ab auctoritate ecclesiastica constitutum, cui adnexum est jus percipiendi redditus de bonis ecclesiasticis.'* Utraque hæc definitio refert quidem duo essentialia beneficii elementa, jus nempe percipiendi fructus bonorum ecclesiasticorum, et officium sacrum; at prima definitio melius respondet

notioni historicæ beneficiorum. Nam quamvis officia sacra semper adfuerint in Ecclesia, non semper vero extitere beneficia; quæ tunc locum habere cœperunt, cum prædia et possessiones in usum fructuum Clericis in Ecclesia ministrantibus dari cœperunt. Quæ concessionem cum referrent indolem beneficiorum militiæ civilis, etiam idem nomen sortitæ sunt. Quare Bonifacius *c. ult. De Rescr. in 6º*. docet, *Beneficium dari propter officium*. Scilicet beneficium est jus percipiendi fructus, quod jus propter officium sacrum impertitur. Unde notio Beneficii directe secumfert jus fructuum percipiendorum, et indirecte, seu tamquam causam supponit officium sacrum: ob quod officium sacrum ipsum jus temporale percipiendi fructus redditur sacrum. Est enim jus adnexum rei sacræ. Unde Beneficium inspectum, prout in concreto existit, unum ens juridicum constituit ex duobus elementis unitis resultans, quorum unum ab altero separari nequit, quin Beneficii notio destituatur. Quare nec legitime desiderari et obtineri potest beneficium, nisi ab eo, qui munere ecclesiastico obeundo dignus est, et capax. Primam ergo definitionem sequimur, et requisita ad Beneficium constituendum ab ea deducimus.

5. Primum requisitum est, ut sit jus percipiendi fructus. Nam Beneficium non consistit proprie in actuali et materiali perceptione fructuum sed in jure perceptionis habendæ. Hinc qui legitime assecutus est beneficium, conservat titulum illius, et censetur esse verus beneficiarius, licet a possessione bonorum injuste fuerit exturbatus. Ex hoc requisito Beneficium distinguitur a *Canoniam*, quæ est jus habendi sedem in choro et vocem in Capitulo, caret tamen præbenda.

6. Secundum requisitum beneficii est perpetuitas juris. Hæc vero perpetuitas, si ipsum Beneficium respiciat, perennem Beneficii durationem significat et hæc perpetuitas dicitur essentialis. Vera enim Beneficia non ad tempus fundantur; sed instituuntur ceu totidem perpetuæ stationes pro Clericis munia ecclesiastica sibi propria obeuntibus. Hinc fundatio temporanea ex. gr. pium relictum Missarum in determinato altari ad quinquennium celebrandarum, vel sacrum officium præstandum ad tempus cum congrua retributione, constituere nequeunt beneficium. Si vero perpetuitas respiciat Clericum possidentem beneficium, ipsum jus est etiam perpetuum, quatenus Beneficium conferatur, ita ut collatio regulariter ad totam vitam beneficiati perduret. Hinc collatio Beneficii dicitur intitu-

latio, et Clericus dicitur investitus in Beneficio. At collatio beneficii in titulum non impedit, quominus beneficium, vivente adhuc Clerico, vacet. Quare perpetuitas beneficii in ordine ad Clericum possessorem non dicitur essentialis, sed dicitur perpetuitas *ordinaria vel normalis*.

7. Diximus *regulariter*, nam adsunt quædam beneficia, quæ ad nutum conferentis revocari et auferri possunt, quæque dicuntur *manualia vel beneficia ad nutum*.

8. Præterea animadvertendum est nonnullas dari Ecclesias, quæ *receptitiæ* seu non *numeratæ* dicuntur. In istis Ecclesiis distinctæ Præbendæ et distincta beneficia non adsunt, sed tot admittuntur Canonici vel beneficiati aut mansionarii quot possunt ex redditibus massæ communis sustentari. Quare in istis Ecclesiis perpetuitas essentialis competit ipsi massæ communi, de qua Clerici instituti in beneficio participant. De hisce Ecclesiis agunt *cap. 9. De Const. 25. h. t. et ult. De concess. Præb. in 6º*.

9. Tertium requisitum est, ut sit erectum et constitutum auctoritate ecclesiastica *cap. 4. de religiosis domibus*. Requiritur scilicet formalis approbatio Curiae episcopalis per decretum erectionis in titulum. Beneficii enim erectio importat institutionem sacræ positionis clerici in Ecclesia quæ sacra positio sua habet jura, suaque adnexa munia obeunda. Scilicet erectio beneficii exhibet institutionem officii sacri, quod institui potest a sola auctoritate, cui commissum est regimen Ecclesiæ.

10. Hinc in praxi S. Congregatio Concilii ad dignoscendum beneficium ecclesiasticum, illudque distinguendum a Capellania laicali seu pio Missarum legato, piave donatione, plurimum attendit, utrum decretum Episcopi vel ejus officialis emissum fuerit in erectione beneficii ipsius. Legata enim Missarum seu Capellaniæ mere laicales solummodo acceptantur ab auctoritate ecclesiastica, non autem eriguntur in titulum per decretum, seu institutionem canonicam.

11. Quartum requisitum est, ut juri percipiendorum fructuum adnexum sit munus proprie dictum sacrum, quemadmodum est recitatio canonicarum horarum, celebratio Missarum, cura animarum, administratio sacramentorum etc. Hinc officia civilia et pensiones, quæ pro ipsis in Ecclesia statuta sunt, beneficia non dicuntur. Ex. gr. portiones fructuum designatæ pro ædituo, procuratore, et

aliæ pro cantoribus, non sunt beneficia. Censentur enim adsignata ceu merces civilis pro labore.

12. Ex hoc requisito descendit etiam quintum, ut nempe beneficium conferatur personæ ecclesiasticæ, quæ scilicet ecclesiasticæ militiæ adscripta sit. Munia enim sacra cum reservata sint cœtui personarum ecclesiasticarum, per exclusionem laicarum, solis ecclesiasticis personis conferri possunt.

13. Tandem ex *bonis ecclesiasticis* Beneficium resultat, sub qua appellatione venire etiam arbitramur pensiones, quæ a Gubernio civili in aliquibus regionibus sacris ministris ex assumpta obligatione cum Ecclesia solvuntur ob munia ecclesiastica, quæ exercent. Nam generatim pensiones istæ repræsentant, licet plerumque minus adæquate, fructus bonorum, quæ Ecclesiæ Gubernia civilia subriperunt. Et 2^o. sunt certæ et determinatæ solutiones pecuniæ, quæque ex lege perpetuæ sunt et rependuntur Clericis ob officia sacra. Hinc Ecclesia in illis locis, ubi loco bonorum temporalium pro Clericis præsto sunt istæ pensiones, considerat adhuc existere beneficia ecclesiastica. In hoc sensu a Doctoribus refertur responsum S. Pœnitentiariæ diei 19. Januarii 1819 hisce verbis expressum: 'A Sacra Pœnitentiaria quæsitum fuit, an salaria, quæ in Belgio solvuntur Pastoribus et Canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et adnexam habeant obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residendi sub pœna non faciendi fructus suos. S. Pœnitentiaria respondit jam alias a S. Sede rescriptum fuisse affirmative'. Conf. Clar. de Angelis *h. t. n. 17. pag. 22.*

De Divisione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

14. Prima divisio est ut alia sint duplicia et alia simplicia. Simplicia in sensu juris ea dicuntur, quæ communia habent officia adnexa, assistentiam nempe in choro et altaris servitium, quin aliqua speciali qualitate honoris vel jurisdictionis decorentur, aut aliud officium secumferant. Hæc notio beneficiorum simplicium tradita est ad rigorem juris; nam juxta communem loquendi modum et praxim hodiernam, sub appellatione beneficiorum simplicium veniunt illa beneficia, quæ important ea officia, quæ ubique impleri possunt ex. gr. recitationem privatam horarum canonicarum, onus missarum ubicumque celebrandarum etc. Hinc beneficia simplicia dici solent ea, quæ personalem residentiam Clerici in loco deter-

minato ratione officii proprii non exigunt. Duplicia in sensu juris ea sunt, quibus adnexa est jurisdictio, præ eminentia, cura animarum, vel etiam administratio, seu aliquod officium.

15. Duplicia alia sunt majora alia minora. Duplicia majora dignitate episcopali et dignitatibus superioribus continentur; quæ beneficia cum proprium nomen habeant ac super eminentem excellentiam in Ecclesia, non comprehenduntur in odiosis sub nomine generico beneficiorum. Quemadmodum etiam dispensatio ad omnia beneficia non censetur concessa etiam ad obtinendum episcopatum, archiepiscopatum etc. Dispensatio enim consideratur ceu vulnus legis, ac proinde est res odiosa. Hisce beneficiis majoribus accedunt Abbatia et Prioratus, quibus inest jurisdictio quasi-episcopalis.

16. Duplicia minora ea sunt, quæ habent aliquam ex supra expressis qualitatibus, et tamen sunt episcopali, vel quasi-episcopali dignitate inferiora; quæque appellantur vel simpliciter Dignitates, vel Personatus, vel Officia, necnon beneficia curata. Dignitates sunt beneficia, quibus adnexa est aliqua jurisdictio, et præ eminentia honoris. Talia erant jure decretalium beneficia Archidiaconatus et Archipresbyteratus. Personatus est illud beneficium, cui inhæret præcedentia, seu locus præ aliis canonicis honorificus in choro, in capitulo et in processionibus, sed omni jurisdictione in alios caret. Talis est Primicerius seu Cantor. Officium significat beneficium, cui adnexa est administratio rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione et præcedentia. Officium habebant jure Decretalium Sacrista, Custos et Thesaurarius. Hodiernis vero moribus, extincta jurisdictione ordinaria Archidiaconi et Archipresbyteri, regulariter loquendo, quæ in Capitulis Dignitates appellantur, non sunt nisi totidem personatus; in usu autem veterum vocabulorum dignitatis et personatus plurimum attendenda est locorum consuetudo et peculiare Capitulum Constitutiones. Jure Tridentino officium habent Canonicus Theologus, et Canonicus Pœnitentiarius. Tandem beneficium duplex minus est illud, cui adnexa est cura animarum.

17. Quæstio est, utrum Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis debeant adnumerari inter duplicia beneficia. Quamvis proprie dicta duplicia dici nequeant, carent enim omnibus quatuor qualitatibus quæ duplex beneficium constituunt; tamen Canonicatus isti nec simplicibus beneficiis accenseri possunt. Nam cum Canonici Cathe-

dralis Ecclesiae lateri adhæreant Episcopi, majorem aliquam excellentiam honoris præ aliis clericis dioceseos sibi vindicant, et dignitatibus æquiparantur in executione literarum Apostolicarum *c. XI. de Rescr. in 6.* Hinc plerumque non veniunt nomine beneficiorum simplicium, *arg. c. 4. h. t. in 6.*

18. Secunda divisio est, ut alia beneficia sint sæcularia, alia regularia: Sæcularia quæ sive ex fundatione, sive ex præscriptione saltem 40 annorum conferuntur clericis extra familiam religiosam. Regularia vero dicuntur quæ a regularibus sive ex ipsa natura, prout sunt abbatia, prioratus et canonicatus regulares, sive ex præscriptione 40 annorum, aut etiam ex aliquo facto ex. gr. unione vel concessione in forma juris valida, a regularibus retineri et administrari debent et solent, *c. 5. et cap. 32 h. t. in 6.* Nisi vero probetur beneficium aliquod esse regulare, in dubio præsumptio est, ipsum esse sæculare. Unde qui asserit beneficium aliquod esse regulare, probare debet. Exceptio tamen facienda est in beneficiis natura sua regularibus. Nam quoad ista præsumptio militat pro qualitate regulari.

19. Tertia divisio deducitur ex modo collationis. Alia videlicet dicuntur collativa seu liberæ collationis, alia patronata, alia electiva. Liberæ collationis ea sunt quæ ab Episcopo seu alio superiore ordinario conferuntur motu proprio nec prærequiritur electio aut præsentatio. Patronata sunt ea, quæ prærequirunt nominationem seu præsentationem alterius. Electiva appellantur ea, quæ conferuntur, prævia legitima electione facta ab iis qui jure eligendi pollent. Quo in casu superior qui complet actum collationis, revera non confert beneficium, sed confirmat electionem. Hinc ejus actus non appellatur collatio sed confirmatio. Quare falsa est theoria moderni scriptoris (*Minghetti 'Stato e chiesa' Ulrico Hoepli editore Milano 1878. pag. 118.*), qui asserit, unam ex conditionibus beneficii esse existentiam alicujus patroni fundatoris, eique aut ejus descendentes spectare jus præsentandi clericum ad beneficium. Falsa est dico, hæc theoria; nam in facto constat, non omnia beneficia fuisse a privatis personis erecta et jus nominandi ad privatas personas pertinere.

20. Quarto loco beneficia alia dicuntur patrimonialia alia vero non patrimonialia. Hæc altera sunt, quæ conferuntur indifferenter clericis absque relatione ad locum vel ad familiam aliquam. Primi generis sunt beneficia, quæ sive per liberam collationem sive ad

nominationem patroni conferri debent clerico idoneo qui pertinet vel ad aliquam familiam vel ad aliquam parochiam, vel civitatem, vel castrum.

21. 5^o. Beneficia alia sunt manualia, alia non manualia idest perpetua. Manualia sunt ea, quæ conferuntur quidem in titulum, sed ad nutum superioris, vel patroni conferuntur, ideoque revocari possunt. Non manualia sunt ea beneficia, quæ conferuntur in perpetuum titulum et irrevocabiler. Unde revocari non possunt nisi ex aliqua causa expressa in jure *can. 16. dist. 55. can. 7. dist. 56.* Regulariter loquendo beneficia sæcularia sunt non manualia, regularia vero regulariter loquendo sunt manualia, quia religiosi pendunt a voluntate superioris. Dixi regulariter. Nam beneficia regularia, quæ non a solo superiore, sed a capitulo per electionem conferuntur, non possunt conferri a solo superiore, nisi ex gravi causa tantum *c. 2 § Prioris de statu Monach.* Adeoque non sunt beneficia manualia. Expositæ divisiones respiciunt beneficia ecclesiastica, quæ nempe conferri possunt solummodo clericis et officium sacrum adnexum habent.

22. Sed præterea dari solent beneficia mere laicalia, quæ solummodo improprie loquendo dicuntur beneficia. Sunt vero ea beneficia, quæ etiam a laicis possunt retineri, et reducuntur ad naturam meri legati pii, idest ad piam institutionem acceptatam ab Ecclesia, quæ secumfert aliquod onus religiosum ex. gr. celebrationem Missarum exequendum a possessore bonorum, in quibus legatum pium fundatum est.

23. Ad majorem vero rei claritatem quæritur, quid sit Canoniam, quid Vicaria, Commenda, Capellania, Præstimonium et Pensio, et an dici possint species beneficii Ecclesiastici. — Canoniam definitur, 'Jus spirituale, quod clerico provenit ex ejus electione vel receptione in fratrem'. Per Canoniam aliquis adscribitur inter Canonicos, quin tamen concedatur eidem præbenda, seu jus percipiendi fructus bonorum Ecclesiasticorum. Ex quo patet, canoniam non esse verum beneficium, ac proinde non posse constituere titulum sacre ordinationis. Jus ergo quod in canoniam conceditur est ut electus vel receptus in canonicum habeat sedem in choro et vocem in capitulo. Insuper provident sacri canones, ut huic Canonico, quamprimum fieri possit, conferatur præbenda vel portio fructuum canonicalium *c. 9. et c. 19. h. t.*

24. Animadvertimus vero hodie in usu parum esse canoniam in sensu exposito, sed potius in capitulis solere nominari canonicos honorarios, qui habent quidem sedem in choro, sed carent voce in capitulo et jure assequendi præbendam vacaturam. De hisce aliquid dicemus inferius in *tit. VIII. nn. 14. et seqq.*

25. *De Vicaria.* Vicarius est, qui vices alterius gerit. In jure dantur vicarius jurisdictionis et vicarius in divinis. Primus est, qui constituitur ut directe et præsertim in foro externo vice alterius justitiam administret, et correctionem exercent. Officium hujusmodi hodie amplius ordinarium undequaque non est, idest non adnectitur alicui beneficio. Vicarius in divinis est qui in iis, quæ ad forum internum seu conscientie pertinent, alterius vices gerit, scilicet vicaria hujusmodi curam animarum secumfert. Cum vicaria jurisdictionis hodierno jure non amplius beneficio alicui uniatur de ea non loquimur, sed loquimur solum de vicaria in divinis.

26. Vicaria hæc alia est temporalis, alia perpetua. Vicarius temporalis destinatur ad regendam parœciam vel ad certum tempus ex. gr. ceu vidimus in 1. libro cum parœcia est vacans rectore suo principali, aut rector hic minus idoneus factus est, vel constituitur vicarius ad nutum alterius. Hæc porro vicaria temporalis verum beneficium non est; vicarius enim titulum beneficii non habet et ejus positio non respondet positioni veri beneficiati. Nam vicarius hic honorum beneficii administrationem non exercet; sed solum stipendium recipit laboris præstiti in exercitio curæ animarum. Immo quando parœcia est perpetuo unita officio Superioris alicujus monasterii et a superiore constituitur vicarius temporaneus ad nutum, verum beneficium censetur possideri a superiore, et incorporatio facta monasterio tenet locum collationis perpetuæ; illi vero qui a Superiore designantur ad curæ animarum exercitium, ejus vicarii sunt, et censentur habere beneficium manuale. *Cf. Clem. Qui regulares. de Suppl. negl. Prælat.*

27. Non idem vero dicendum de vicaria perpetua. Ea enim constituit verum et proprie dictum beneficium ecclesiasticum. Nam Vicarius perpetuus constituitur ita, ut ab officio removeri nequeat nisi una ex causis canonicis verificetur, et nisi serventur modi in jure expressi ad parochos ab officio removendos. 2º. in *Clem. un. de potest. Vicarii* vicarius perpetuus æquiparatur veris et titularibus parochis tum quoad incompatibilitatem alterius vicariæ, tum quoad ætatem et ordinem requisitum. Hinc etiam vicaria per-

petua confertur per concursum juxta legem Tridentinam. Merito igitur in *c. 27 de Rescript.* appellatur beneficium.

28. *De Commenda.* — In genere Commenda dicitur custodia Ecclesiæ vel beneficii alicui commissa et commendatarius dicitur clericus, qui Ecclesiam vel beneficium in commendam recipit. At diversa est Commenda antiqua, seu quæ obtinebat jure antiquo a Commenda nostrorum temporum. Commenda antiquitus nihil aliud erat nisi custodia Ecclesiæ vel beneficii vacantis alicui clerico commissa ut bona administraret, et fructus erogaret pro ministrorum mercede, pro Ecclesiæ conservatione et pro augmento bonorum ipsorum seu dotis beneficii vel Ecclesiæ. Quare instituta non erat commenda in commodum Clerici commendatarii sed in utilitatem Ecclesiæ ipsius vel beneficii. Hinc duo sequebantur, 1º. ipso jure unum eundemque clericum potuisse retinere Commendam etiam simul cum alio beneficio in titulum *c. 54 § suggestit. De Elect.* Sequitur 2º. Commendas non fuisse perpetuas sed perdurasse quoadusque id exegisset utilitas Ecclesiæ vel beneficii. Immo antiquitus Commendæ concedebantur non ultra sex menses *C. Nemo 15 de Elect. in 6.* Ex qua notione sequitur, antiquas Commendas non fuisse vera beneficia.

29. At tractu temporis inductum est, ut Commendæ essent perpetuæ et conferrentur ita, ut Commendatarius perciperet fructus seu redditus Ecclesiæ aut beneficii commendati, et Commendam reciperet ad instar tituli. Commenda igitur nostris temporibus est verum beneficium. Quare Concilium Tridentinum *c. 2. et 4. sess. 7. et c. 17. sess. 24. de Ref.* prohibet, ne quis plura possideat simul beneficia etiam commendata. Quæ prohibitio extenditur etiam ad casum, in quo unum beneficium retineretur in titulum, et aliud in Commendam. Hinc hodierno jure commendæ non nisi a Romano Pontifice concedi possunt et duplici in casu concedi solent 1º. quando alicui personæ qualificatæ, quæ jam beneficium possideat in titulum, ut commodius sustentari possit, aliud beneficium conceditur in Commendam, ne videatur duplici titulo investiri. 2º. Concedi solent in Commendam abbatia seu beneficia regularia. Conceduntur vero beneficia ista in Commendam Clericis sæcularibus, ne videatur mutata indoles beneficii: Nam, cessante concessione in Commendam, beneficium redit pleno jure in pristinam conditionem beneficii regularis.

30. *De Capellania.* Capellania est institutio quædam Ecclesiastica qua Clericus tenetur Missam celebrare juxta intentionem pii fundatoris, et jus habet percipiendi fructus bonorum designatorum ab eodem pio fundatore. Hinc inspecta juridica institutione Capellaniarum, Capellano non adsignantur determinata stipendia pro singulis missis quas celebrat, sed conceduntur fructus quorundam bonorum, quibus onus adnexum est missam vel quotidie, vel determinatis in anno vicibus celebrandi. Ceterum potest etiam pro singulis missis quantitas eleemosynæ designari quemadmodum non raro fieri solet ex voluntate fundatorum. Generatim Capellaniae fundantur in determinatis Capellis vel Ecclesiis. Porro si Capellania auctoritatis ecclesiasticæ idest Episcopi vel alterius superioris ecclesiastici decreto ea lege fundetur, ut conferatur personæ clerici in perpetuum, induit naturam beneficii ecclesiastici, et constituere potest titulum sacræ ordinationis.

31. Quæ requisita si desint Capellania dicitur laicalis vel legatum pium Missarum.

32. De Capellania loquitur *c. XI. h. t.* Ex hoc capite inferunt doctores Capellanum, qui ex lege foundationis tenetur per seipsum missam quotidianam celebrare, posse licite prætermittere aliquando celebrationem Missæ, tum ob causam infirmitatis, tum ob causam honestatis et debitæ devotionis, et nihilominus percipere posse fructus capellaniæ. At si notabili tempore Capellanus ob infirmitatem impediatur a celebratione Missæ alium sacerdotem subrogare tenetur, qui oneri celebrandi missam satisfaciatur. Porro varia est doctorum sententia quoad determinationem temporis intra quod Capellanus infirmus non tenetur alium loco sui substituere ad Missas celebrandas. S. Cong. Concilii in causa *Romana celebrationis Missar. 4. Junii 1689.* et *17. Nov. 1695* tenuit ad quindecim dies non teneri capellanum infirmum, neque per se, neque per alium missas celebrare.

33. Præter infirmitatem in *cap. XI. h. t.* consideratur 1º. causa honestatis seu mala dispositio animæ præsertim ob peccati mortalis conscientiam et 2º. causa devotionis. Magnæ notæ doctores tradunt, ex alterutra ex hisce causis posse sacerdotem interrumpere missæ applicationem Capellaniæ quotidianæ, semel solummodo in mense. Sacra vero Congregatio *diei 18. Sept. ann. 1680* propositis dubiis '1º. an Sacerdotes obligati ratione beneficii, Capellaniæ, legati pii, aut stipendii celebrare quotidie Missam per seipsos, possint

aliquando a Missa vacare,' '2º. quando et quoties a dicta celebratione vacare possint,' ad 1ºm et 2ºm respondit affirmative, concurrente aliqua rationabili causa. — Ceterum si sacerdos esset ordinatus ad titulum Capellaniæ, et ob infirmitatem redderetur impotens ad Missam celebrandam, simulque non haberet aliunde unde viveret, durante impotentia non teneretur nec per alium ad Missæ celebrationem. S. Congr. Conc. in *Pistoriens. 5. Febr. 1650* et in *Patavina 24. April. 1655.*

34. *Præstimonium* seu portio præstimonialis est stipendium determinatum ex redditibus ecclesiasticis deductum, alicui clerico concessum in subsidium vitæ præsertim cum studiis vacat. Præstimonium solent concedi ad tempus, durante scilicet ratione concessionis. Hinc vera beneficia non sunt; præsertim quia præstimonium secumferre non solent aliquod servitium Ecclesiæ.

Verum quandoque præstimonium conceduntur in perpetuum seu in titulum proprium et ipsis adnectitur onus recitandi horas canonicas. Quia in specie præstimonium induunt indolem proprii beneficii ecclesiastici, et hoc in sensu accepta a Bonifacio VIII. appellatur Beneficia in *c. ult. de Concess. Præb. in 6º.*

35. *Pensio* est 'certa portio fructuum ab aliquo beneficio aut mensa episcopali vel abbatali ab auctoritate legitima ad tempus et non in perpetuum separata'. Quæritur, utrum pensio sit beneficium? Nullum dubium est si agatur de pensionibus quæ laicis dantur ob civile officium vel laicalem laborem uti est ex. gr. pensio adsignata procuratori, pensio adsignata ædituo etc., quæ pensiones dicuntur laicales. Hæ videlicet pensiones nullo modo qualitatem et nomen beneficii sibi vindicant.

36. Quod si sermo sit de pensionibus, quæ clericis conferuntur in titulum vel ad vitam clerici, pensiones hujusmodi in favorabilibus, non vero in odiosis æquiparantur beneficiis et veniunt sub nomine beneficii quemadmodum declaravit Greg. XIII. *die 18. Decemb. 1576* et *die 8. Aug. 1577.* Ex qua declaratione patet, pensionem non esse revera proprie dictum beneficium ecclesiasticum, nec incidere sub dispositionem Tridentini in *sess. 23. c. 6. de Ref.* quæ cavet ne beneficium ecclesiasticum concedatur clerico ante annum decimum quartum ætatis.

37. Hac vero in re notandum est, clerico pensionem percipienti inesse onus recitationis officii parvi B. Mariæ Virg.; quod nisi fecerit, subjicitur eisdem pœnis, quibus subest clericus beneficiatus